



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum  
Societatis Iesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Magna Romæ in nostros tempestas exoritur, & sedatur. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

MAGNA ROMAE IN NOSTRO  
*tempestas exoritur, & sedatur.*

## CAPVT XIII.

**D**VM à Patribus hæc gerūtur, gra-  
 uis illa, & multo antè ab Igna-  
 tio prouisa tēpestas exorta est.  
 Nam cū frater quidā, Augustinus Pede-  
 mōtan<sup>9</sup>, ex Augustiniana familia in vi-  
 be concionaretur, & Lutheranae do-  
 ctrinae venenum occultè populo infu-  
 deret, agnitus à nostris Patribus, publi-  
 cis concionibus refutatus est. Cuius a-  
 mici quidam Hispani (quos nominare  
 non est necesse) opibus atq; auctorita-  
 te cōfisi, pro Augustiniano vicissim, ac-  
 cusationem aduersus Ignatium soci-  
 osque suscipiunt, ministro ad eam rē  
 adhibito, Michaele quōdam Hispano,  
 in quem Lutetiae multa Ignatij, ma-  
 gnaq; merita extiterant. Ergo iniquissi-  
 mos rumores, cum de reliquis socijs,  
 tum verò de Ignatio maximè dissipāt:  
 in Hispania illum, Lutetiae Parisiorum,  
 deniq; Venetijs damnatum hærescos  
 fuisse: facinorosum & perditum om-  
 nino hominem esse, qui diuina, & hu-  
 mana omnia iura peruertat: in ex-  
 ercitationes præterea spirituales, &  
 in socios ipsos crimina multa con-  
 iiciunt.

ijciunt. Atq; ijs fluctibus animos **d** for-  
titerq; Ignatius restitit, & iudicio rem  
persequutus est, ac veritatē illustrandā  
patefaciēdamque curavit. Cū enim  
ipsum Societatis iugulum peti anim-  
aduerteret, & id agi à communi om-  
nium salutis hoste, vt appropinquan-  
tem iam, & prope maturum Religio-  
nis nostræ partem aut præfocaret, aut  
infamia aliqua pollueret, omni con-  
tentione contra eius conatum sibi e-  
nitendū putavit. Itaque reiectis dolis,  
Michaël ille à iudice damnatus, in exi-  
liumque missus est: alij verò accusa-  
tores, autoritate principes, primū  
multum de accusatione remittere, tū  
etiam trepidare, postremò accusatio-  
nem in laudem vertere; idque coram  
Cardinale Neapolitano, summi Pon-  
tificis Legato, & coram vrbis Gu-  
bernatore. Qui satis illorū confessione  
factum esse veritati iudicantes, cōtro-  
ue siā silētio dirimi voluerunt. Quod  
quidem socijs, amicisq; probantibus,  
solum Ignatius minus probavit; ne  
quid ex oppressa veritate dedecoris a-  
liquando in Societatem erumperet.  
Nempe refrigerato iudicio, rei q; gestę  
memoria senescēte, cū de accusatione  
constaret, de absolute taceretur, fa-  
cile

eilè suspicatos homines datum ha  
 gratia, atque hominum studijs, pro  
 gnatio socijsque certatium, vt verita  
 lateret in tenebris, & silentio tegeretur.  
 Quæ causa fuit, vt nullius autoritate  
 neque potentia permotus, ne sociorum  
 quidem voluntate, aut amicum  
 consilio, ne minimum quidem de sua  
 sententia dimoueri se Ignatius patere  
 retur, sed in eo hæreret, & maximè  
 susteret, vt in iudicium res adducta, in  
 dicum sententia omninò declararetur.  
 Vir sibi ipsi inglorius, Christo autem  
 fratribusque honoratissimus. Qui quid  
 diu de se tantum agebatur, nullius patrocinio  
 vt ad sui defensionem voluit: vbi  
 Dei gloriam, aliorumque salutem  
 in fraudem adduci vidit, omnes & mentis  
 & corporis neruos intendit, vt depulsa  
 caligine, lumen se veritatis ostenderet.  
 Quocirca, cum iudices, a sententia  
 ferenda, alienos animaduertentes  
 ad ipsum Pontificem Maximum Ignatium  
 Tusculum adit: rem ordine Latino sermone  
 exponit: quoties in vinculis, quoties in  
 custodia fuerit, & quibus de causis candidè,  
 integre aperit: quantum diuinis rebus impedimentum  
 iniiceretur, ostendit, si ea silentio sopita  
 contemptaque iacerent.

rat

rationes, quibus adductus rei exitū cupiat, breuiter enumerat. Quas cū Pōtifex probasset, iudici mandat, vti rematuret, & pro veritate sententiā pronunciet: quod & fecit. In hoc autem iudicio illud diuinitus cecidit, quod qui in Hispania, Lutetiæ, Venetijs vitę Ignatii iudices fuerant, ij vno eodemque tempore ex ijs ipsis locis, alius alia de causa in urbem conuenerant, & producti testes, omnes præclarum illius virtutis atque innocentie testimonium dederunt. Venerat enim ex Hispania Ioannes Figuera, is qui Compluti Vicarius generalis Archiepiscopi Toletani, Ignatium in carcerem coniecerat, & eius integritate cognita, liberarat: qui ad amplissimum dignitatis gradum postea euectus, Regij consilij Præses in Hispania anno 1565. mortuus est. Venerat ex Gallia D. Matthæus Ori, ex Dominicana, vt diximus familia Theologus, apud quem fidei Inquisitorem Ignatius Lutetiæ accusatus est. Venerat D. Gaspar de Doctis, cuius iudicio fuerat Venetijs absolutus Ignatius, & aduersus calumniatores defensus, cū is ea in vrbe Hieronymi Veralli Legati summi Pontificis Iudex ordinarius

H

esset:

esset: ij fuerūt virtutis Ignatij testes. Et  
emplam autem sententiæ, qua Ignati-  
us socij q; sunt absoluti, quoniam alias  
ante id tempus latus compellitur, ad  
verbum addendum existimauimus.

**B. CONVERSIVVS, ELECTVS**  
*Britouoriensis Vicecamerarius Alme vr-*  
*bis, eiusque districtus Generalis Guberna-*  
*tor.*



Niuerfis, & singulis, ad  
quos presentes nostræ li-  
tere peruenierint, salutem  
in Domino.

**CVM** Reipub. Christianæ  
multū intersit, vt eos, qui in agro do-  
minico, vitæ exēplo, & doctrina plu-  
rimos ædificant in salutem: & irem il-  
los, qui è conuerso potius supersemi-  
nare videntur zizania, publicè noto-  
esse: & nonnulli rumore sparsi essent  
& delationes ad nos factæ de dogma-  
tib; & cōuersatione vitę spiritualib; exer-  
citijs, quæ alijs conferunt, venerabilis  
vixorum, Dominorum Ignatij de  
Loyola, & sociorum, videlicet Petri  
Fabri, Claudij Iaij, Paschalis Broct, Di-  
daci Laines, Francisci Xauler, Alfon-

Sa

Salmeronis, Simonis Rhoderici, Ioan-  
nis Codurij, & Nicolai de Bobadilla  
Magistorū Parisiēsiū Presbyterorum  
foculariū, Pāpilonēsis, Gebenensis, Se-  
guntinēsis, Toletanēsis, Vicensis, Ebre-  
dunēsis, & Palētinēsis, respectiuē dice-  
cesis. Quæ quidē eorū dogmata, & ex-  
ercitia, à quibsdā dicebātur erronea,  
superstitiosa, & à Christiana doctrina  
nō nihil abhorrētia. Nos, pro officij no-  
stri debito, ac speciali etiā mādato Sā-  
ctissimi Dñi Nostri Papæ, circa hæc di-  
ligēter animaduertētes, quæ visa sunt  
ad pleniorē causæ cognitionē oportu-  
na, inquisiimus, si forē de quibus  
prædicti culpabātur, vera esse deprehē-  
deremus. Quocirca examinatis primò  
quibusdam oblocutoribus contra ip-  
sos; & consideratis partim publicis  
testimonijs, partim sententijs de Hi-  
spania, Parisijs, Venetijs, Vicetia, Bo-  
nonia, Ferrara, & Senis, quæ in prædi-  
ctorum venerabilium virorum D. I-  
gnatij, & sociorum fauorem, aduer-  
sus eorum criminatores prolatae fue-  
rūt, & ad hæc examinatis iudicialiter  
nonnullis testibus, & moribus, & do-  
ctrina, & dignitate omni exceptione  
maioribus: tandem oēm murmuratio-  
nē, & oblocutionem, & rumores con-

tra eos sparsos, nulla veritate subnixos  
 fuisse, comperimus. Quamobrem nostra  
 rum esse partium iudicauimus, pronū-  
 ciare, & declarare, sicut pronuncia-  
 mus, & declaramus, prædictum Do-  
 minum Ignatium, & socios, ex prædi-  
 ctis delationibus & susurris, non solū  
 nullam infamiae notam, siue de iure,  
 siue de facto iacuisse; verum potius,  
 maiorem vitae atq; doctrinae sanæ cla-  
 ritate retulisse, cum certè videre-  
 mus, aduersarios vana, & penitus à ve-  
 ritate aliena obiecisse: & contrà, opti-  
 mos viros, optimū pro illis exhibuisse  
 testimoniū. Hanc igitur sententiam &  
 pronūciationem nostram, vt publicū  
 eis testimonium sit contra omnes ad-  
 uersarios veritatis, & in serenationem  
 omnium, quicunq; sinistram illam de-  
 cis suspicionem, prætextu talium dela-  
 torū & criminatorum conceperint, fa-  
 ciendam duximus: mōnentes in super-  
 & exhortantes in Domino, ac ro-  
 gantes vniuersos & singulos fideles,  
 vt dictos venerabiles viros, Dominū  
 Ignatium & socios habeāt & teneant  
 pro talibus, quos nos esse comperim⁹  
 & Catholicis, omni prorsus suspicio-  
 ne cessante. Ita tamen, quatenus in  
 eodem vitae & doctrinae tenore, De  
 20



adiuvante (quod speramus) permanse-  
rint. DA IVM Romæ, in ædibus no-  
stris, die decimo octavo millesimo  
quingentesimo trigesimo octavi.

*B. Gubernator, qui suprâ.*

*Rutilius Furius, Secretarius.*

**P**orro Augustinus ille Pedemon-  
tanus, qui huius omnis accusatio-  
nis fons & origo fuit, posita lar-  
ua, apertè publiceque Lutheranus po-  
stea factus est. Accusatorum autem  
is fuit exitus, ut nostris tacentibus, &  
pro ipsis orantibus, illorum se & vi-  
ta proderet, & doctrina: quæ usque  
ad eò tetra fuit, ac detestabilis, ut al-  
terius statua Romæ exusta sit, cum  
se ipse fuga ab incendio eripuisset: al-  
ter perpetuo carceri propter hæresim  
addictus, qui tamen sub vitæ finem  
resipuit, & suam vitam, erroresque  
damnans, Romæ ita mortuus est, ut  
extremum hominis spiritum qui-  
dam ex nostris patribus  
exciperet.

(:·:)

H 83

IGNA-